



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

II. Quisnam locus habendus sacer.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

Examen IV. De Ecclesiarum immunitate. 695

Non potest; quia aliàs immunitatis priuilegium redderetur inutile.

5. *Existenti in loco sacro potest ne ulla vis, aut damnum à laica potestate inferri? Non, nisi iudex id ad Episcopi instantiam efficiat, non nomine proprio.*

6. *Num possit reus, quandiu in loco sacro existit, ad mortem damnari, vel poenæ corporali addici? Minimè: ad poenam autem pecuniariam, & ad bonorum confiscationem nisi compareat, potest. Imò iudex solet citare reum, illumque ad mortem, vel ad aliam poenam pro qualitate delicti damnare, quando licitè poterit inferri. Id quod non est actu illum condemnare, sed minqri ad tempus commodum damnationem.*

7. *Quid si reus ab Ecclesia per vim extrahatur? Est Ecclesiae restituendus; tenetur enim iudex iniuriam Ecclesiae illatam resarcire, nec satisfacit dando de impunitate cautionem.*

8. *Extractus iuri suo cedere, & in iudicis secularis potestate vult permanere: tenetur ne iudex eum restituere Ecclesiae? Tenetur; quia hoc priuilegium loco sacro est immediatè concessum, nullus autem cedere alieno iuri potest.*

9. *Est ne eidem Ecclesiae restituendus? Vel eidem, vnde extractus est, vel alteri, vel Episcopo, vel eius Vicario, modo sit æquè tutus ac si eidem loco sacro restitutus esset.*

10. *Quid si dubitetur, an reus in loco sacro, an in prophano captus fuerit? Spectat ad iudicis Ecclesiastici definitionem; cum enim de Ecclesiae agatur immunitate, eius causæ cognitio ad Ecclesiasticum iudicem pertinet.*

11. *Actus iudicis laici iuridicè in delinquentem ab Ecclesia vi extractum facti, sunt ne validi? Non; vtpote sine iurisdictione effecti; quia fundantur in captura & detentione rei, quæ quidem actus non est iurisdictionis, sed violentiæ. Imò nec potest illum iudex iuridicè interrogare, nec ille tenetur respondere; quia non habet ius in reum eo modo captum.*

C A P V T I I.

Quinam locus habendus sit sacer?

12. **I**n doctrina perspicuitatem necessum est, aperias, quinam locus sacer habendus sit? Quæuis Ecclesia Episcopi auctoritate erecta, etiamsi benedicta non sit, aut non fuerint

X x 4 in

696 *Moral. Theologia Tract. V I. Status,*
in ea diuina officia celebrata, nec adfit Eucharistia Sacra-
mentum; aut etiam polluta sit, vel interdicta, vel diruta, mo-
do non fuerit Episcopi, sine reedificationis spe, auctoritate;
sic enim priuilegium immunitatis amittit. Verum non so-
lum interius Ecclesie corpus, sed tota Ecclesie fabrica, et
tectum, partes parietum exteriores, campanile, Sacristia Ec-
clesie coniuncta, & similia Templo adiacentia priuilegio
fruuntur immunitatis; quia quae adherent Templo, seu loco
sacro, sacra censentur.

13. *Extenditur ne ad fines, seu confinia? Usque ad quadra-
ginta passus extenditur, si fuerit Ecclesia Metropolitana; si
verò minor, ad triginta.*

14. *Domus Parochorum, seu Canonicoꝝ alioꝝque Ec-
clesiasticorum intra septa Ecclesie iuxta doctrinam tuam im-
munitate gaudebunt. Quis dubitet? quamuis à laicis inhabi-
tentur; quia priuilegium hoc directè locis, non personis
concessum est.*

15. *Domus Religiosorum, aut Monasteria, gaudent immuni-
tate? Maxime. Id quod extenditur ad Claustra, seu habita-
tionem, ad hortum & viridarium; totum enim illum septum
est sacrum.*

16. *Quid de Hospitalibus, seminarijs ve? Eodem priuile-
gio gaudent, si Episcopi sint auctoritate fundata; sunt enim
loca pia.*

17. *Palatium, seu domus Episcopi priuilegiata ne est? Ita-
licet quadraginta passibus ab Ecclesia non existat, modò eo
in Palatio adsit Oratorium, vbi diuina officia celebrentur.
Idem affirmo de domibus Cardinalium; quamuis scio hoc
priuilegium hodie Romae non asseruari, vt bono communi
consulatur.*

18. *Reus Sacerdotem Eucharistia Sacramentum asseren-
tem amplexatur: fruitur ne Templi priuilegio? Ob reuerentiam
sacratissimo IESU corpori debitam licitè capi non posse
affirmo; tamen si capiatur iniquè, non assererem Ecclesie
immunitatem violari, nec de rigore iuris reum esse Tem-
plo restituendum, quia hoc priuilegium Ecclesie conce-
sum est, non extra Ecclesiam Eucharistia. Affirmo tamen
per consuetudinem, illam posse immunitatem introduci,
quae reis Sacerdotem deferentem Eucharistiam amplexanti-
bus suffragetur.*

des tru-
cta

distet

CAPVT III.

Quinam sint Templi Immunitate priuati?

19. **E**xprime, quinam illi, quibus Templorum immunitas non suffragatur? Dum reus extra locum sacrum comprehensus ad carcerem per cœmeterium ducitur, aut per Ecclesiam etiam si per vim trahatur, & inde recuset exire, fruitur priuilegio? Non; quia hic non confugit ad Ecclesiam, dum liber esset.

20. Si reus blanditijs, & promissionibus, sine coactione à loco sacro eliciatur, & extra eum capiatur, quid? Priuilegio non fruitur; quia ipse sese voluntariè Ecclesiæ munimine abdicauit. Attamen si ei promissa fuit impunitas, aut in eundem locum restitutio, illi data fides seruanda.

21. Reus in Ecclesia captus fuit, & in carcere fori secularis nomine Episcopi detinebatur, donec cognosceret, an immunitatis priuilegio frui deberet; reus hic de carcere aufugit, & postea à iudice seculari captus est: num Ecclesiæ immunitate gaudebit? Minimè; quia fuga illi priuilegium primæ detentionis ademit.

22. Quid de publicis latronibus, grassatoribus viarum, depopulatoribus agrorum ad Ecclesiam confugientibus, & de occidentibus, vel mutilantibus in Templis, aut eorum cœmeterijs? Ecclesiæ immunitate priuati sunt. De latronibus, grassatoribus, & depopulatoribus expressè Bulla Greg. XIV. Certè æquum non videtur, vt Ecclesiæ immunitate occidentes, vel mutilantes fruantur, qui in Ecclesia delinquant.

23. Num qui sagitta, vel plumbea glande in loco sacro existens alium extra locum sacrum occidit, priuilegium amittat immunitatis? Non; quia licet homicidium fuerit in Ecclesia inchoatum, fuit tamen extra Ecclesiam perfectum: potest tamen hic ab Ecclesiæ ministris capi.

24. Amittitur ne immunitas ob quamlibet vulnerationem in Ecclesia factam? Minimè, nisi sequatur mors etiam extra Ecclesiam: aut adsit mutilatio, seu abscissio alicuius membri, aut partis corporis, quæ habet officium distinctum à reliquis.

25. Quid si imperem homicidium, aut mutilationem in Ecclesia fieri? Non priuatis ideo Ecclesiæ immunitate; quia pœna lata contra facientes non afficit mandantes, nisi id exprimat in iure.